



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

S. Isidorus Agricola

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

Dies S. Isidori Agricolæ Patroni  
à Madrito electissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili ! non erubescamus , si vilius quid agendum nobis imponatur à S. obedientia. S. Isidorus vilitate Deum, & cœlum cum mira sanctitate sibi emerat. Non est vile , quod Deo impenditur. Sancta sit voluntas : Placebit opus, ut ut humillimum.

*Instructio meritoria.*

Ne homo superbiat inferior , sponte quoddam hodie exerceamus opus, quod ob vilitatem magis abhorret natura, & S. Isidoro offeramus cum uno Rosario extraordinario. Opera, si propter Deum, semper pretiosa sunt.

II.

**H**ero suo S. Isidorus serviit fidelissime , memor , quod & Christus Josepho , & Mariæ vixerit subditus. O fili ! Deum aggredimur , si superiorem capitositate , vel inobedientiâ contristamur. Absit ! solatia , & amorem mereatur suâ in nos paternâ , & continuâ sollici-

licitudine. Nescit offendere, quisquis perfectè didicit se subjecere, & obedire.

*Instructio meritoria.*

Ut omnes Ecclesiæ Rectores gloriose regnent, vitia evellant, & destruant, virtutes implantent, virōsque glriosos in suis generationibus pariant, *Litanias de omnibus Sanctis* (inseratur: *S. Isidore! ora pro nobis*) coram Sanctissimo persolvamus. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Maculam in facie quis non considerat?

III.

**S**anctè vivere cupimus omnes: Sed non sanctè vivimus; quia cum Isidoro diem, & labores nostros non ab oratione, & rectâ in Deum intentione constanter auspicamur. O fili! sed ad quid hæc dierum, & laborum perditio? Doleamus.

*Instructio meritoria.*

Et vel hodie firmiter statuamus, statim à manè coram pia Imagine, vel sanctissimo Altaris Sacramento præmittere intentionem Generalem totius Diei cum ceteris precibus matutinis. Ut autem

SSS.

264 XVII. Martii. S. Gertrudis Nivigel.

SSS. Trinitas benedicat opera nostra, ut  
benedixit S. Isidori, præmittamus cui-  
libet notabiliore negotio *Iria Pater &*  
*Ave cum Gloria Patri & oratione:*  
*Actiones nostras &c.* Dulcis est labor,  
quem condit pietas, & sancta devotione.  
Festum S. Gertrudis Abbatissæ  
Nivigelensum.

### EXHORTATIUNCULA I.

**U**T soli desponsata Christo maneret,  
è domo aufugit Patris Pipini Bra-  
bantiæ Ducis. Alas dedit fugienti amor  
Virginitatis, & primæ innocentia. Filii  
quoties periclitamur, quia occasiones  
non fugimus? Imposterum prævaleat  
quieta mens, & tranquilla conscientia.  
Perfecta charitas habetur *de corde puro,*  
*conscientia bona, & fide non ficta.* S.  
Laur. Just.

### Instructio meritoria.

Id haud impetrabimus sine speciali  
Dei gratia. Ad quam impetrandum, uti  
& ad avertendas omnes peccandi occa-  
siones proximas recitemus quinque Psal-  
mos Nomi Mariæ alias designatos, &  
Ma-

